MASTER
NEGATIVE
NO. 91-80157-1

AUTHOR: NITSCH, G. W.

TITLE: DISPUT. DE HERMENEUTICE....

PLACE: KILIAE

DATE: 1840

Master Negative #

91-80157-1

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

```
BKS/PROD  Books       FUL/BIB   NYCG91-B60709          Acquisitions     NYCG-YG
Record 1 of 0 - Record added today
+
  ID:NYCG91-B60709    RTYP:a     ST:p    FRN:      MS:        EL:        AD:06-25-91
  CC:9668  BLT:am      DCF:?   CSC:?    MOD:     SNR:       ATC:        UD:06-25-91
  CP:nyu      L:lat     INT:?   GPC:?    BIO:?    FIC:?      CON:???
  PC:r       PD:1991/1840       REP:?    CPI:?    FSI:?      ILC:????  MEI:?    II:?
  MMD:       OR:    POL:     DM:     RR:         COL:       EML:       GEN:   BSE:
  040      NNC‡cNNC
  100 10   Nitsch,G.W.
  245 10   Disput. de Hermeneutice ad LL. ex Aeschyli Eumenidibus.
  260 0    Kiliae,‡bEx Officina C.F. Mohr,‡c1840
  300      8 p.
  LDG      ORIG
  QD       06-25-91
```

Restrictio

FILM S: 35 mm REDUCTION RATIO: 14x

IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB

DATE FILMED: 7/26/91 INITIALS RK

FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

AIIM

Association for Information and Image Management

1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910

301/587-8202

Centimeter

1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 mm

1 2 3 4 5

Inches

MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

INDEX SCHOLARUM

IN ACADEMIA REGIA

CHRISTIANA ALBERTINA

PER

INSTANS SEMESTRE AESTIVUM

A DIE INDE XI. MENSIS MAII ANNI MDCCCXL

USQUE

AD FESTUM MICHAELIS

PUBLICE PRIVATIMQUE HABENDARUM.

INEST G. G. NITZSCHII, PROF. LITER. ANTIQU., DISPUT. DE HERMENEUTICE AD LL. EX AESCHYLI EUMENIDIBUS.

KILIAE.

EX OFFICINA C. F. MOHR.

Commilitonibus bonarum artium studiosis

S.

Si quis in universum neget, doctrinae studia diligenter sciteque tractari posse nisi ab iis, qui *interpretandi* facultatem et peritiam anquisiverint, assentientes is quidem habebit *philologos*, *theologos*, *juris studiosos*, qui suae quique scientiae vim auctoritatemque ex priscis literis petendam vident, ceteros non item. Atque etiam theologi et juris studiosi suam caussam rationemque a philologorum forsitan longe segregent, utpote quibus in auctoribus versandum sit quum sermonis usu tum omni interpretandi condicione multum diversis. Quibus aut aliquatenus aut plane dissidentibus quod excipiunt ita concedet interpretationis patronus, ut communem tamen quandam interpretandi disciplinam virtutemque esse vindicet, et isti operae atque exercitationi ad acuendam expediendamque mentem tribuat plurimum. Neque id immerito. Interpretandi enim opera et ars quoniam intelligendi est, mentemque ad intelligendum callidam ac versatilem cujusvis non solum operis eruditioris lectio sed artis tractatio requirit, abunde apparet, quot nominibus interpretandi studia commendentur. Fingunt ac praeparant in quadam quasi cogitandi palaestra animum talem, qui omnino sentire aliquid facile et maxime in scriptorum sese disputationes insinuare possit; deinde peculiaribus officiis in proprios disciplinarum usus instruunt discentes. Exercitatio autem varia sit oportet, neque recte

statuunt ii, qui ad suos auctores scite interpretandos ex diversorum enarratione nihil se proficere posse putant. Denique utilitas ita maxima est, ut in difficillimo scriptore elaborat interpres h. e. eo, qui mentem circumspectam ac versatilem maxime requirat.

Res quum utilissima tum difficillima praeceptis tamen adhuc nequaquam satis instructa est, sed si quibus, certe singulorum potius monitis regitur quam communi ratione ac disciplina. Atqui quamvis materiae varietas magnam semper tractantium calliditatem postulet, rursus tamen ne summa quidem eruditio summumque acumen interpretationem efficiet certam et ab hariolationis levitate remotam, nisi disciplina adstiterit monitrix. Imo propter id ipsum, quod operae per variantem materiam progredienti aliis atque aliis officiis opus est, interpretis mens praeceptis imbuta et arrecta cautionibus accedat eo magis necesse est. Nunc quum praecepta hermeneutices satis expensa et elata non sint, labi vel dormitare interdum eos videmus, quos scientia, ingenium et multiplex usus ab errore aut negligentia tutissimos praestare videbantur. Quae quum ita sint, operae pretium videtur, artis usu creberrimae praecepta identidem exemplis illustrare.

Interpretis officia duobus potissimum titulis comprehendi possunt; conficitur enim interpretatio ex linguae cognitione et justa divinatione. Et loquendi usum omnes intelligunt cerni in singulorum vocabulorum significatione et rectione et comprehensione verborum. Neque magis quenquam fugit, a communi sermonis usu primum discernendum esse proprium generis, deinde proprium scriptoris. Ex his unum, in quo vis interpretationis grammaticae summa, admodum crebro neglectum arguas. Nam vocabulorum quidem significatus accurate notantur, rectio animadvertitur; sed complexio verborum, qua periodi conficiuntur aut altero enunciato alteri applicato expeditur orationis progressus, incredibile quot locis negligenter adhuc habita sit in scriptoribus Graecis.

Divinationis est existimare, quid scriptor in quoque loco aut dicere potuerit aut voluisse credi debeat. Est autem quadruplex. Primo loco ponimus eam, quae ex communi mentis humanae lege apta semper aliquid requirit, quod

sanum sit et consentaneum. Altera ex historiis ducta admonet notitiarum, consuetudinum, opinionum, sive populi sive aetatis sive propriarum, quibus innutritus et imbutus scriptor loquatur. Tertia artis est, quae ex totius operis consideratione profecta exspectare jubet interpretem, quod universi operis sententiae aut personarum moribus ac partibus congruum sit. Denique accedit quarta, quam dialecticam dicas quodammodo licet, quia progressum sermonis sequitur et ex proxime antegressis primi cujusque enunciati sententiam aliquatenus anticipat. Sequantur exempla ex *Aeschyli Eumenidibus* desumpta.

Primum exemplum divinationem alteram, historicam, illustret. Videndum diximus interpreti, ne, si quae subest opinio popularis, eam parum animadvertat. Id quod accidit iis, qui nuper de loci Eumen. 162—65 lectione et enarratione disceptarunt. Amplectenda lectio haec:

> Ἐφεστίῳ δὲ, μάντι, σὸν μιάσματι
> μυχὸν ἔχρανας αὐτόσσυτος, αὐτόκλητος,
> παρὰ νόμον θεῶν βρότεα μὲν τίων,
> παλαιγενεῖς δὲ μοίρας φθίσας.

Non dubitabit amplius de hujus lectionis veritate, qui admonitus et normam illam deorum agnoscat et μοίρας παλαιγενεῖς ad verum revocaverit. Dicitur autem illa lex, quae una a principio a fato constituta deorum et hominum jura descripsit, cavitque, ne mortales imbecillitatis sorte exsoluti ad deorum similitudinem accederent. Haec lex diis hoc praecipuum dedit, ut ab omni labe immunes ῥεῖα ζῶντες et essent et haberentur; homines senio et vitiis, aerumnis et morti obnoxios esse voluit. In eam igitur conspirant dii vulgo omnes, eamque agendi normam sequuntur; qui non aliter invidia in homines uti dicuntur, nisi quod mortales sortem et condicionem excedere nolunt. Sed violavit hunc morem modumque deorum nunc Apollo, quum recepto in penetrale matricida *mortalia ita coluit, ut vetustas sortes*, h. e. honores et munera Furiis olim Parcis sancientibus mandata, *pessumdaret;* παλαιγενεῖς μοῖραι enim sunt λάχος, ὃ διανταῖα Μοῖρ' ἐπέκλωσεν ἐμπέδως ἔχειν rel. v. 320. Furiis scilicet magnae partes sunt in lege illa tuenda ac persequenda, ut quae tum scelera etsi misera cum necessitate commissa puniant, tum nimia felicitate

elatos corripiant (Hom. Od. υ, 78); quapropter eaedem *κῆρες*, perimentes, appellantur Sept. adv. Th. 1047. s. 1035. — Nacti sumus, opinor, Furias ea loquentes, quae ad Orestis caussam et totius fabulae vim tragicam praecipue pertinent.

Ut ad locum pergam, qui ad fabulae actionem et personarum partes existimandas multum facit, paucis admoneo, in versu 330. pro *Ἀθανάτων δ' ἀπέχειν χέρας* sine dubio reponendum esse *Ἀθανάτων δ' ἄπ' ἔχειν* (s. *ὀχεῖν*) *γέρας*, *a Diis procul remotas habere* (s. *perferre*) *munus;* deinde v. 341. pro *Θεῶν δ' ἀτέλειαν ἐμαῖσι λιταῖς ἐπικραίνειν* legendum *Θεῶν δὲ τελείαν*: *precibus, quibus me implorant, ita ut deorum est eventum dare.* Illud *τελείαν* (sc. *μοῖραν* s. *βέλην* s. *ψῆφον* malis) *ἐπικραίνειν* nihil differt a *τέλος ἐπικραίνειν* Suppl. 86. 616. 712. Soph. Antig. 628. Cum *ἐμαῖσι λιταῖς* cfr. ut alia taceam Soph. Oed. Col. 1415. *τῆς ἐμῆς ὑπουργίας*. Neutri emendationi amplius patrocinabor, nisi locorum ratio ipsa suffragetur. Utraque admissa dicendi sanitatem vindicabit.

Sequatur exemplum, cui divinatio adhibenda, quam tertio loco posui; simul autem verborum complexionem animadvertemus.

Eumen. 704 sqq. Minerva verbis *Ἐμὸν τόδ' ἔργον, λοισθίαν κρῖναι δίκην* manifesto declarat, suffragatione jam transacta rem eo pervenisse, ut supremum judicium fiat, id quod suum esse profitetur. Atque ipsa hos de caede judices primos constituerat, ipsa introduxerat caussam (530—52. *εἰςάγω δὲ τὴν δίκην*), ipsius igitur erat tanquam judicii praesidis latis suffragiis sententiam componere. Nescio an interpretes deae eam dignitatem parum animadverterint, certe ejus verba proxima: *Ψῆφον δ' Ὀρέστῃ τήνδ' ἐγὼ προςθήσομαι* hoc habere putarunt, ut ipsa calculum adjecisse se significaret, dubitarunt autem, utrum statim id fecisset post judices undecim duodecima, an judicum numero duodecim pares sententias suo calculo diremisset. Neutri verum viderunt. Et primum quidem dea, si ullo modo ipsum suffragiorum numerum auxisset, exuisset aequitatem, neque vere antea negasset suum esse de caede judicare (449 sq.). Aequitatem autem ut servaret, non modo artis norma flagitabat et cum personae congruentia fabulae sententia omnis, verum reverentia etiam in urbis patronam. Quanquam quid verbis opus? si verborum

complexionem accurate persequuti fuerimus, satis apparebit, praesidem judicii deam non verum calculum, sed pro suffragio legem humanitatis plenam adjecisse, qua pares sententiae judicarentur:

Ψῆφον δ' Ὀρέστῃ τήνδ' ἐγὼ προςθήσομαι·
μήτηρ γὰρ — — —·
οὔτω γυναικὸς οὐ προτιμήσω μόρον,
ἄνδρα κτανούσης δωμάτων ἐπίσκοπον,
νικᾷ δ' Ὀρέστης, κἂν ἰσόψηφος κριθῇ.

Redde: „Suffragabor ego Oresti *in hunc modum:* quoniam —, non feminae plus tribuam, sed *vincet Orestes etiam si par fuerit calculorum numerus.*“

Hoc igitur plus tribuit Oresti quam Furiis, patri eique regi quam matri, clementiae quam severitati, ut aequato damnantium et absolventium numero mitior sententia valeret. Non aliter ap. Eur. Iph. T. 1439. *ψήφους ἴσας κρῖναι* dicitur, neque alius unquam fuit calculus Minervae.

Breviter addo exemplum vindicandae congruentiae sententiarum. Ej. fab. vv. 721 sq. legitur:

Γνώμης δ' ἀπούσης πῆμα γίνεται μέγα,
βαλοῦσα τ' οἶκον ψῆφος ὤρθωσεν aut *— σαν μία.*

Repone: *βαλοῦσα τ' οἶκτον — ὤρθωσ' ἂν μία*, et rursus (*τε*) misericordiam ferens una servatura fuit. Calculus facile ipse dicitur facere id, quod facit, qui eum addit. In *γίνεται* dubito utrum *γίγνεται* an *τείνεται* lateat.

Disputationem excipiat gratulatio quaedam. Quemadmodum enim veris hoc tempus geniale et proxime laetitiam affert et in posterum fructus spondet laetissimos, sic patria etiam ipsa nunc vernat, et vero academia nostra laeta prosperitatis auspicia capit. Vacuis enim locis, qui fuerant, jam dudum egregie expletis, iterum accessit collega acceptissimus. Verum enim, Commilitones optimi, quicquid vel gaudemus vel speramus, omnis gratulatio irrita erit et inanis, nisi Vestrorum studiorum fide et felicitate constet. Agite igitur, ipsi maxime vernantis aetatis naturam moresque expedite. Juvenes appello, h. e.

eos, qui, quoniam vigor corporis animique suppetit, pulcra non minantur tantummodo, sed strenue suscipiunt, sive, ut Moerikii verba mea faciam,

His festinus amor pectus pertentat agendi,
Votorumque petunt aurea tela polum.

Eos denique appello, qui, quoniam aurea libertas otio, studiis, unique sui curae asseruit beatos, habent quod sequantur tenentque, et indigna omnia aut *aliena arcentes* explere animos quaerunt, ne inanes aliquando inutilesque ad ornandam patriam hinc discedant.

Dab. Kiliae d. XIV. m. Mart. a. MDCCCXL.

SCHOLAE PROFESSORUM ORDINARIORUM.

EX ORDINE THEOLOGICO.

Dr. *G. S. Francke* semestri aestivo 1) *publice* diebus Merc. et Sat. hora IX—X. Theol. rationalis s. philosophiae religionis lineamenta ductu libri sui *Grundr. der Vernunft-Theologie, Alt. und Leipz.* 1824. 8. 2) *privatim* a) reliquis diebus hebd. eadem h. IX—X. hodegeticen et methodologiam studii theol. adhibito libro Cl. D. C. Ch. G. Wissii qui inscribitur: *Prodicus oder Lehrbuch der Hodegetik cet., Leipz.* 1836. 8. explicabit; b) singulis diebus hebdomadis excepto d. Sabbati h. X—XI. primam partem fundamentorum theologiae biblicae (*Grundzüge der biblisch-christlichen Glaubenslehre*) docebit; c) singulis diebus hebdomadis exceptis diebus Merc. et Sabbati historiam ecclesiasticam recentiorem h. p. m. IV—V. narrabit. De aliis quae desiderentur *privatissime* inprimis tractandis more consueto coram agetur.

Dr. *A. F. L. Pelt publice* 1) historiam theologiae saeculi XVIII et XIX. enarrabit, diebus Mart. et Ven. h. II. *Privatim* 2) Theologiam moralem docebit singulis diebus excepto die Merc. h. XI. 3) De Hegelii philosophia disseret, subjuncta ejusdem crisi, diebus Martis, Jovis, Veneris h. V. 4) Archaeologiam ecclesiasticam exponet adhibito Rheinwaldii libro (Berol. 1830) diebus Merc. et Saturni h. VII. matutina aliave auditoribus commoda. *Privatissime* exercitationes biblico-theologicas moderari perget, die Lunae h. VI et VII.

H. A. Mau publice praemissa introductione in libros apocryphos V. T. universos librum Sapientiae explicabit die Saturni hora X et III. *Privatim* quinis diebus h. X. Epistolas Pauli ad Corinthios datas, iisdem diebus h. III. librum Jesaiae interpretabitur.

*

Dr. *J. A. Dorner publice Typum doctrinae Paulinae* Merc. et Saturni die h. IV—V. delineabit; *privatim:* quinis horis *Dogmaticen* tractabit (seu Systematis fidei christianae partem secundam) hora matutina VIII—IX. diebus Lunae, Martis, Mercurii, Jovis et Veneris. Epistolas *Pauli* ad *Galatas*, *Ephesios* et *Colossenses* interpretabitur h. X—XI. diebus Lunae, Martis, Saturni et Jovis.

EX ORDINE IURIDICO.

Dr. *Nicolaus Falck* per instans semestre aestivum 1) *publice* selecta juris criminalis capita explicare perget, duobus per hebd. horis diebus Merc. et Saturni h. XII. 2) *Privatim* a) *Encyclopaediam disciplinarem ad jus pertinentium,* libro suo duce, quotidie h. IX. tradet; b) *historiam juris patrii et jus publicum patrium* h. XI. quotidie docebit. *Privatissime* examinatorium processus civilis et exercitationes practicas instituet.

M. Tönsen, Dr., per instans semestre aestivum 1) *privatim* a) processum civilem ordinarium, quem dicunt communem, duce Martino, quaternis horis, h. X. et b) processum civilem Slesv. Holsaticum ex schedis suis, diebus Martis, Jovis et Veneris, h. XI. docebit. 2) *Publice* processus summarios tradet dieb. Mercurii et Saturni h. X. 3) *Privatissime* practicum processuale cupientibus offert.

G. C. Burchardi, Dr. et P. P. O., instanti semestre aestivo, *publice* selecta Antiquitatum juris Romani capita, tractabit, *privatim* Institutiones et Historiam Juris Romani, ad Lineamenta sua quinquies horis matutinis IXna et Xma et Jus quod pertinet ad hereditates diebus Lunae, Martis, Jovis et Veneris, hora postmeridiana IVta exponet.

Dr. *F. Kierulff,* h. t. Decanus, *publice* h. IV—V. diebus Lunae et Jovis exercitationes exegeticas moderari perget; *privatim* Pandectarum doctrinam omnibus diebus non festis h. XI—XII et III—IV. tradet.

EX ORDINE MEDICORUM.

Dr. *C. H. Pfaff* per instans semestre aestivum 1) *publice* de Magnetismo tellurico disseret; 2) *privatim* a) *Physicam experimentalem* more solito singulis diebus profestis h. XII—I, b) *Chemiam analyticam* binis horis tradet.

Dr. *C. R. W. Wiedemann publice* oryctognosiam docebit.

G. H. Ritter publicae Encyclopaediam scientiae medicae tradet: *privatim* quaternis horis *Semioticen* ternis per hebdomadem horis *Diaeteticen* docebit.

Dr. *A. L. A. Meyn,* h. t. Decan., *publice* singulis diebus Saturni hora IX—X. pharmacocatagraphologiam tradet; *privatim* 1) quinis horis (h. IX—X.) nosologiae et therapiae specialis partem tertiam; 2) quaternis horis (h. III—IV.) medicinam forensem docebit; *privatissime* institutionibus clinicis quotidie ab hora inde X. vacabit.

G. B. Günther, Chirurgiae partem secundam XI—XII. sexies tractabit; Clinicen chirurgicam XII—II. quotidie moderabitur; Operationesque in cadaveribus instituendas docebit iis diebus, quibus cadavera aderunt, horis adhuc constituendis.

EX ORDINE PHILOSOPHICO.

Gregor. Guil. Nitzsch privatim dd. quaternis h. IV—V. *Platonis Phaedrum* interpretabitur, et totidem dd. h. XII—I. *deorum heroumque cultum apud Graecos et Romanos* omnemque antiquae pietatis rationem persequetur. *Publico* officio Seminarii Philologici studia et exercitationes moderabitur.

Justus Olshausen, Acad. h. t. Rector, *publice* Arabicam linguam docere perget; *privatim* quinis per hebd. diebus Psalmorum libros V. explicabit, h. IX., et Archaeologiam Hebraicam tradet, praemisso compendio geographiae terrae sanctae et historiae populi Judaici, h. XI. *Privatissimis* scholis vacabit Hebraicis et Persicis.

H. Ratjen, h. t. Decanus ord. philos., Historiam juris literariam diebus Lunae, Martis et Jovis h. III—IV. pomeridiana tradet. Bibliothecam publicam aperiet diebus horisque lege constitutis.

Dr. *H. F. Scherk publice* Theoriam sectionum conicarum, bis per hebd. h. IV—V.; *privatim* 1) Mathesin puram, quinquies per hebd. VIII—IX.; 2) Trigonometriam et Introductionem in Analysin, quater h. XI—XII. tradet. *Privatissimas* scholas desiderantibus non deerit.

Georg. Hanssen 1) *publice* encyclopaediam Cameralium die Saturni h. VIII., 2) *privatim* oeconomiam nationalem practicam diebus Lunae, Martis, Jovis et Veneris h. III.; 3) *privatim* statisticen generalem quinquies per hebd. h. VIII. docebit.

Dr. *A. L. J. Michelsen publice* bis per hebd. de *Historia Romana* ex B. Niebuhrii disciplina disseret; *privatim* 1) quater per hebd. h. X—XI. *historiam medii aevi et recentiorum temporum* enarrabit, 2) quinis hebdomadis diebus h. IX—X. jus *publicum Germanicum* tradet.

H. M. Chalybaeus per semestre aestivum exponet 1) *publice*, Aestheticam binis dieb. h. XI.; 2) *privatim* philosophiam theoreticam (Logicam et Metaphys.) quinis dieb. h. IX.; 3) historiam philosophiae antiquae quaternis dieb. h. IV.

PROFESSORUM EXTRAORDINARIORUM.

THEOLOGIAE.

C. Lüdemann, prof. publ. e. o., seminarii homiletici director, *publice* seminarii homiletici exercitationes moderari perget singulis diebus Veneris h. XI., *privatim* 1) exercitationes catecheticas continuabit singulis diebus Mercurii, binis horis, XI. scil. et XII.; 2) artem homileticam explicabit, ejusque historiam enarrabit *quaternis* p. h. diebus, Lunae scil. Martis, Jovis h. XI. et Veneris h. X.; 3) theologiam pastoralem docebit binis p. h. diebus Martis scil. et Jovis h. X.

IURIS.

P. D. Chr. Paulsen, Dr. jur., *publice populorum borealium juris historiam*, die Mercurii h. X. et Saturni h. XII. tradet, *privatim* 1) quinque ceteris diebus non festis h. XII. *jus privatum Slesvico-Holsaticum*, nec non *Lauenburgicum* ad compendium suum exponet; 2) ter per septimanam h. X. *jus mercatorium*, *cambiale* et *nauticum*, tam commune, quam patrium et Danicum docebit.

Dr. *Aemil. Herrmann juris philosophiam* docebit *privatim* quater per hebd. h. IX. *Processum criminalem* juris quum communis tum Slesvico-Holsatici *privatim* exponet quinquies, omnibus diebus non festis excepto Saturni die, h. X. *Publice* binis scholis disseret de ecclesiae evangelicae forma secundum principia reformationis sacrorum.

MEDICINAE.

F. H. Hegewisch, M. Dr., artem suam docebit *privatissime*.

W. F. G. Behn, Dr., *publice* exercitationes zootomicas habebit, *privatim* 1) Physiologiam humanam omnibus diebus non festis h. VIII. exponet; 2) Zoologiam quinquies p. h. hora XI. docebit; 3) Anatomiam generalem diebus Lunae, Mercurii et Veneris h. IX. tradet, 4) eadem hora diebus Martis et Jovis systema nervorum et organa sensuum demonstrabit.

PHILOSOPHIAE.

J. M. Schultz publice h. XII. dd. Merc. et Sat. *Ciceronis* de legibus duos libros priores explanabit; *privatim* horis per hebd. quaternis *Aristophanis* Pacem et Acharnenses praeleget.

Ernestus Ferdinandus Nolte per instans semestre aestivum tradet hora matutina VII. quinis septimanae diebus Botanicen, h. III. die *Lun.* et *Jov.* Plantarum rariorum quae in hort. Acad. coluntur, cognitionem aperiet; d. *Merc.*

et *Satur.* hor. p. m. III. Excursiones botanicas instituet; *privatissimas* scholas de qualibet re herbaria cupientibus offert.

P. G. Forchhammer, ex itinere orientali redux, scholas suas indicabit.

DOCTORUM PRIVATORUM.

THEOLOGIAE.

Frid. Ant. Löwe, S. S. Theol. Lic., semestri instante aestivo Theologiam biblicam V. T. tractabit *privatim* quaternis dieb. h. IV—V. Scholis *privatissimis* vacabit.

IURIS.

Dr. *J. Christiansen privatim* eam juris civilis partem, quae est de obligationibus quater p. h. hora X., *publice* binis p. h. scholis juris interpretandi artem tradet.

Dr. *A. C. J. Schmid* per instans semestre aestivum processum civilem communem et patrium duce Linde (*Lehrbuch des deutschen gemeinen Civilproc. Fünfte Aufl.* 1838) omnibus diebus non festis, h. XII—I., quater *privatim*, bis *publice* tradet. Scholas *privatissimas* de rebus ad studia juridica pertinentibus offert.

MEDICINAE.

G. A. Michaelis, Dr., Operationes maeuticas diebus Lun., Merc. et Jov. h. XI. a. m. docebit; de morbis mulierum dieb. Mart., Vener. et Saturn. h. XI. a. m. disseret. Explorationes gravidarum h. II. die Saturni instituet.

Dr. *W. H. Valentiner*, prosector, *publice* nonnulla anatomiae pathologicae capita musei anatomici praeparata demonstrans tradet die Mercurii et Saturni h. III—IV., *privatim* osteologiam et syndesmologiam diebus Lunae et Jovis h. III—IV. docebit, *privatissime* repetitoria anatomica et chirurgica offert atque artem fascias ligandi tradet.

Dr. *Aemilius Kirchner* per instans semestre aestivum: *Publice*: De fontibus medicatis bis per hebdomadem die Martis et Veneris hora pomeridiana V—VI. disseret. *Privatim:* 1) Therapiam generalem quinquies per hebdomadem die Lunae, Martis, Mercurii, Jovis et Veneris h. XI—XII. aut quacunque alia hora, auditoribus maxime congrua, docebit. 2) Examinatorium de pharmacologia casuistici medico-practici in modum bis per hebdomadem die Martis et Veneris hora pomeridiana IV—V. instituet et simul medicaminum specimina exhibebit. 3) De morbis syphiliticis ter per hebdomadem die Lunae, Mercurii et Jovis hora pomeridiana IV—V. aget. Repetitoria insuper de chirurgia, therapia speciali, pharmacologia et chemia pharmaceutica itemque exercitationes desmologicas *privatissime* instituendas offert.

PHILOSOPHIAE.

Dr. *Guil. Klose privatim* ter p. h. hora IX—X. Patristicen seu patrum ecclesiae vitas et scripta explicabit.

N. Thomsen, Dr., tradet *privatim:* 1) historiam ecclesiae Christianae universalem, inde a temporibus Christi et apostolorum usque ad tempora Gregorii VII., sexies per hebdomadem, h. XII—I., 2) historiam dogmatum Christianorum, quinquies per hebdomadem, h. IV—V. Praeterea scholis *privatissimis* vacabit.

C. H. Tielle, Dr., per instans semestre aestivum 1) *publice* Chemiam corporum organicorum h. XI—XII. diebus Mercurii et Saturni, 2) *privatim* a) Chemiam theoreticam experimentis illustratam, h. XI—XII. diebus Lunae, Martis, Jovis et Veneris, b) Chemiam analyticam, h. III—V. dd. Lunae, Martis et Mercurii, docebit. Praeterea offert scholas physicas et mineralogicas.

Dr. *Ed. Osenbrüggen publice* diebus Mercurii et Saturni h. V—VI. Gellii Noctes Atticas interpretabitur; *privatim* Antiquitates Romanas publicas tradet, quater p. h. hora V—VI. *Privatissime* sed *gratis* Justiniani Institutionum interpretationem moderabitur simulque eos, qui de rebus ex historia juris scribere velint, adjuvabit.

M. Baumgarten, Th. Lic. et Phil. Dr., 1) *publice* necessitudinis, quae inter V. et N. T. intercedat rationes exponet diebus Lunae et Jovis h. IX—X. 2) *privatim* librum Genesis enarrabit quinquies per hebdomadem h. III—IV.

Otto Jahn, Dr., *gratis* quater per hebdomadem Troicorum mythorum cyclum ex artis antiquae potissimum monumentis explicabit, h. IX. antem.; *privatim* Persii Satiras interpretabitur, simulque historiam satiricae poseos tradet, quater per hebdomadem h. XI.; *privatissime* de rebus philologicis si qui sunt, qui edoceri cupiant, operam suam praestabit.

F. A. Wilda, Phil. Dr., per instans semestre aestivum: 1) *publice* Encyclopaediam artium quaestuariarum (*Encyclopaedie der Gewerbswissenschaften*) tradet, diebus Merc. et Sat., h. IV—V.; *privatim* Agriculturam, quum generalem, tum Slesvico-Holsaticam docebit, diebus Lunae, Martis, Jovis et Veneris, h. IV-V.

LECTORES LINGUARUM.

Dr. *C. Flor publice* diebus Lunae et Jovis h. II. linguam Islandicam docebit. *Privatim* diebus Martis et Veneris h. II. exercitationes practicas Danice scribendi instituet, iisdem diebus h. III. linguam Danicam tirones docebit. *Privatissime* scholas Danicas, Svecicas et Islandicas, ut opus erit, offert.

S. Lubbren, Lector Linguae Anglicae, *publice* diebus Mercurii et Saturni h. IV—V. Twelfth Night: or What You Will by Shakspeare leget. *Privatissime* scholas Anglicas quotidie offert.

Jo. Guil. Cramer, Academiae Mechanicus, operam suam diligentiamque his addicit, qui ad opera facienda, quibus ars continetur in qua ipse versatur, ejus institutione atque manuductione uti velint.

G. Chr. Apel, concentuum Musicorum director, si qui id postulaverint, industriam suam spondet cupientibus aut theoriam musices discere aut ad cantandi artem vocem suam formare.

P. Guil. de Balle, publicus equitandi magister, et artem equos subigendi docebit et publicas scholas habebit de externa equorum forma recte judicanda, sive de ea artis veterinariae parte, quae ad externas equorum virtutes et vitia spectat.

Armorum tractationem, saltationem, reliquamque gymnasticam discere cupientibus non deerunt magistri harum artium peritissimi, ad easque docendas publico stipendio conducti.

(L. S.)